

Hec autem aqua curat allopiciam et tiriam et transmutat corpus humanum et sincerat et innovat ipsum, et pro tanto sapientes aliqui, licet paucissimi, qui eam sciverunt ita eliquare, assimilaverunt ipsum calori^k naturali sane^l adolescencie, et propter hanc similitudinem usi sunt ipso.

110 Et aliqui ipsorum vocaverunt eum lapis animalis, alii elixir minerale, et alii medicinam perbennem. Hoc enim miraculum facit, quoniam innovat corpus humanum, calorem temperat naturalem, et nulla est medicina, que loco huius stare possit, et in huiusmodi preparacione est totum secretum, quod sapientes aliqui²⁵ propter invidiam occultaverunt. /

115 Sacratissimam insuper et inclitam maiestatem, doctor et miles, tenemini diu conservare in vita, et pro tanto suadeo suam inclitam maiestatem et dominacionem, ut utatur hoc meo electuario, de quo videbit mirabilem effectum sine dubio, et eum thesaurisavi michi et eo usus sum et propter effectum mirabilem, quem inde expertus sum, voco ipsum „electuarium vite“²⁶ et „electuarium sanctum“. Nam corroborat stomachum aptatque; superfluitates humorum ex nutrimento preterito remanentes exprimendo purgat, et usus eius facit coloratos homines. Unde vere propter ipsum canicies retardatur, quare pro auro servandum est. Cuius permixtio hec est:

125 Recipe uvarum passarum libras II, liquiricie munde contuse unciam I. Ponantur in libris duabus aque et coquantur bene. Postea et colentur et exprimantur et in illa colatura infundantur hec:

Recipe mirabulanorum²⁷ ex ossibus enucleatorum et in mortario percussorum, scilicet kebulorum, citrinorum, indorum ana uncias II, emblicorum, belliricorum ana dragmas II. Coquantur et exprimantur et colentur, et postea addatur zuccari albissimi libra I. Coquantur insuper ad decoctionem syrupi, et tunc addatur cinamomi electi uncia semis, gariofilorum, galange ana dragme II, nucis muscate grossas^m numero 2, feniculi anisi ana uncia I. Pulverisa, et fiat electuarium, / quod debet poni in
135 pixide lignea et debet sumi coclear plenum pro vice una.

k) colori Hs.

l) sive Hs.

m) so in der Hs., gemäß der Vorlage.

25) Der Schreiber verwendet die Kürzung für aliqui, doch wäre eher antiqui zu erwarten: Nach den verbreiteten Erklärungen zum Elixir (siehe S. 147 Anm. 32) war dessen Rezept in der Antike geheimgehalten worden.

26) Das Rezept bis in pixide lignea (Z. 135) ist De conservanda iuventute (wie S. 144 Anm. 23) fol. 88ra–b entnommen.

27) Zur Identifikation dieser Frucht (Myrobalanen), von der die im Folgenden genannten kebuli, citrini, indi, emblici und bellirici Unterarten sind, vgl. DEMAITRE, The Care (wie S. 147 Anm. 31) S. 19.